

inventionis et exaltationis sanctae crucis, Annae matris Mariae virginis, Mariae Magdalenae apostolorumque Petri et Pauli praedictorum ac aliorum omnium apostolorum sanctorumque Stephani Laurentii Viti Georgii Vincentii Fabiani et Sebastiani martyrum, necnon Martini Nicolai et eius translationis et Vdalrici confessorum atque Catherinae Barbarae Dorotheae Vrsulae et Agnetis virginum, commemorationis animarum omniumque sanctorum ac ipsius parochialis ecclesiae dedicationis festivitate et celebritatibus devote visitaverint annuatim et ad reparationem ac conservationem aedificii calicum librorum ac aliorum ornamentorum pro divino cultu inibi necessarium quotiescunque manus porrexerint adiutrices, nos cardinales praefati et quilibet nostrum pro qualibet die festivitate et celebritate huiusmodi centum dies indulgentiarum de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in domino relaxamus, praesentibus vero perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium etc. Datum Romae in domibus nostrarum solitarum residentiarum anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo indictione quartadecima die vero mensis Maii tredecima pontificatus etc.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit grösseren und kleineren Bruchstücken der Siegel an rothen Schnüren.

No. 243. 1452. 8. Nov.

Die Pröbste der Augustinerchorherrenstifte von S. Peter auf dem Lautenberg bei Halle, S. Georg bei Goslar, S. Thomas zu Leipzig, S. Johannes in Halberstadt, S. Lorenz bei Schöningen, S. Johannes in Kaldenborn, S. Afra in Meissen und S. Marien bei Altenburg vereinigen sich zu jährlicher Abhaltung eines Provincialcapitels und zu gegenseitiger Brüderschaft und Unterstützung.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. In cunctipotentis omnimodum et obsequiosum honorem sacraeque religionis ferventem decorem ac regularis institutionis collapsae longaevam¹⁾ redintegrationem nos Gerhardus monasterii sancti Petri Montis sereni Magdeburgensis diocesis, Wilhelmus sancti Georgii prope Goslariam Hildensimensis diocesis praesidentes, Burcardus sancti Thomae in Lipczk Merseburgensis diocesis, Nicolaus sancti Johannis in Halberstad visitatores, Henricus sancti Laurentii prope Scheninge, Vdalricus sancti Johannis evangelistae in Kaldenborn Halberstadensis diocesis, Johannes sanctae Affrae in Misna et Otto sanctae Mariae prope Aldenburg Nuenburgensis diocesis canonicorum regularium praepositi in Monte sereno praedicto convenientes et capitulum provinciale multis retroactis temporibus praetermissum utique reinstaurare volentes, primo ipsum capitulum provinciale certis ex motivis animos nostros moventibus capitulum provinciale Goslariense appellamus volumusque illud eo nomine perpetuis temporibus appellari, nosque singuli eidem capitulo obedientiam fecimus manualementem pro nobis et capitulis nostris atque successoribus, ad hoc videlicet quod statutis ordinationibus et decretatis per idem capitulum rationabiliter editis subsequi et stare inviolabiliter debeamus; volumus insuper ut si qui in posterum monasteriorum praelati cum suis capitulis se nobis ad interessendum adiunxerint itidem faciant, unanimique ac maturo consilio in signum maioris

1) Orig. *collapsus longaevi*.